







1763, 1 14

EXERCITATIO ACADEMICA PRIMA  
DE  
**ACTIBVS IVRIDICIS**  
SVB  
**CONDITIONE MVTANDAE**  
**RELIGIONIS GESTIS**

---

QVAM  
CONSENSV MAGNIFICI ICTORVM ORDINIS  
PRAESIDE  
**IOANNE DANIELE FVNCK**  
LEGIBVS  
**STIPENDII OELMANNIANI**  
SATISFACTVRVS  
DEFENDET ET DEFENSIONE PERACTA  
ACADEMIAE VLTIMVM DICTET VALE  
**BERNHARDVS LVDOVICVS**  
**SVCHLAND**

---

SVBSELLIA OPPONENTIVM OCCVPABVNT  
**CHRISTIANVS FRIDERICVS WOLFF** MEMELA PRVSSVS  
I. V. CVLTOR.  
**DANIEL GRALATH** GEDANENSIS  
IVR. ET PHIL. CVLTOR.

---

DIE XIV. IVLII MDCCLXIII.

---

REGIOMONTI,  
LITTERIS HARTVNGIANIS.





PATRIBVS ACADEMIAE REGIOMONTANAE  
CONSCRIPTIS  
**RECTORI MAGNIFICO**  
ILLVSTRI  
**CANCELLARIO ET DIRECTORI**  
CETERISQVE  
**SENATORIBVS**

SVMME REVERENDIS,  
IVRE CONSVLTISSIMIS, EXPERIENTISSIMIS,  
EXCELLENTISSIMIS, AMPLISSIMIS  
PRO BENIGNISSIME SIBI COLLATO STIPENDIO  
**OELMANNIANO**

GRATISSIMVM IN AETERNVM ANIMVM  
SPONDET  
ET IN EIVSDEM SIGNVM HANCCE  
EXERCITATIONEM ACADEMICAM

*D. D. D.*  
RESPONDENS.





§. 1.

Ratio & sacra scriptura felici consentiunt suffragio, datus a se, infinitum, aeternum, immutabile, absolute necessarium, independens, nullius rei indigens, omniscium, omnipotens, immensum, iustum, misericors, bonum, sapientia summa praeditum, cuius providentia ad minima sese extendit, ita, ut nihil fiat fato, sed omnia vel secundum eius voluntatem eveniant, vel ex permissione eius fiant, a cuius intellectu essentiam omnium possibilium repetere, & in cuius voluntate existentiam rerum quaerere debemus i. e. existere Deum, creatorem, conservatorem, & dominum huius universi; ens perfectissimum, cuius magnitudinem nec capere satis, nec eloqui possunt mortales.

Kein sterblicher Begriff schließt Gottes Wesen ein,  
Man muß, wenn man ihn ehrt, in tiefer Demuth schweigen,  
Der Geist kan schwindlend nicht an solch Geheimniß steigen,  
Zu sagen, was Gott ist, muß man Gott selber seyn.

Hinc de Simonide quum quaesivisset Hiero Rex Siciliae, quid sit Deus, deliberandi causa sibi unum diem postulavit. Quum idem ex eo post-

A 2

ridie



ridie quaereret, biduum petiuit, quum saepius duplicaret numerum dierum, admiransque Hiero quaereret, cur ita faceret: quia quanto diutius considero, tanto mihi res videtur obscurior. Sunt verba Ciceronis de natura Deorum Lib. 1. interim, quantum per limites & cancellos, quibus circumscripti sunt homines, fieri potest, cognitionem Dei, & attributorum eius adquirere debemus, quum illa maximum, in felicitatem hominis temporalem & aeternam habeat influxum.

§. 2. Ex Dei, & attributorum eius cognitione varia fluunt officia, quae vero omnia eo redeunt, ut ea tantum, quae Deus vult, velle, & in omnibus nostris actionibus ex voluntate Divina motiva sumere, i. e. Deum colere debeamus, si enim Deus propter intellectum perfectissimum, non nisi perfectissima sibi repraesentare, & ob bonitatem & benignitatem summam, id tantum, quod re vera hominibus est utile, velle potest, non video, quomodo suis ipse perfectionibus melius conformiter agere possit homo, quam si secundum voluntatem Divinam omnes suas componat actiones, i. e. Deum colat. Homo itaque ad cultum diuinum obligatur.

Amicissime iterum conspirat cum ratione revelatio, Audiamus Paulum 1. Cor. X. 31. ex versione Lutheri ita loquentem: *Ihr esset oder trinket, oder was ihr thut, so thut alles zur Ehre Gottes*, & in epistola ad Colos. III. 17. Taceo plura.

§. 3. Variis modis Deum coli posse, pleno ore eloquitur experientia. Hominem vero eo modo Deum colere debere, quem optimum iudicat, ex natura animae, quae non appetit nisi bona, & natura cultus Divini, qui semper cognitionem attributorum Divinorum supponit, satis convincimur. Accedit, Deum nobis non frustra dedisse facultatem in veritates inquirendi, verum a falso discernendi, salutem & perfectionem animae quaerendi, & promouendi, ita, ut si conscientia nostra etiam erronea sit, contra eandem tamen agere non liceat. Quum itaque eo modo Deus colendus, quem optimum iudicat homo, ex omnibus possibilibus modis vnus est eligendus. Vnus & determinatus modus, Deum colendi vocatur religio. Homo itaque ad religionem obligatur.

§. 4. Possem hic varia adferre emolumenta, quae religionem comitari, eiusque effectus esse solent. Sed otium mihi fecit Meyer in *Tractatu*: *Von der Religion*, & in libro, cui Titulum fecit: *Philosophi-*



5

*sophistae* Moral. p. 1. c. 1. §. 33 - 49. Dixisse mihi sufficiat: sine religione nullam actionem humanam summum rectitudinis gradum acquirere posse. Rectitudo enim consistit in consensu actionum nostrarum, cum regulis, & finibus, homini praescriptis omnibus. Vltimus finis hominis est honor & cultus Diuinus, vt principia Theol. nat. aequae ac reuelatae satis demonstrant. Conuenienter itaque homo honori & cultui Diuino agere debet. *Sine religione* actiones hominis vltimo eiusdem fini contradicunt, & summum rectitudinis gradum non habent. Iustitia itaque, honestas, & quaelibet aliae virtutes, omnem dignitatem amittunt, atque splendorem, si religionem non habeant comitem. Quin immo homo irreligiosus sibi tantum perfectionis gradum non acquirit, qualem acquirere posset. Media negligit, quibus omnia eius officia facilitari possent. Negligit quoque voluptatem, & felicitatem summam, quae ob summas in Deo perfectiones, nullius mutationis capax est, sed cum homine post mortem, quae omnes alias res tollere solet, vnica perennat.

Multo magis hoc de Religione Christiana dicendum, Notatu digna sunt verba, quibus Carolus Alexander Dux Württembergius filium & successorem in testamento 1737. facto alloquitur. Wir können nicht umhin, inquit, denselben Väterlich zu ermahnen, daß er die Wichtigkeit, und schwere Verantwortung seines Fürsten Amtes wohl und reiflich erwäge, **Obt** beständig vor Augen habe, und beständig erinnert sey, daß ohne gutes Christenthum keiner ein ehrlicher Mann unter den Menschen seyn, und gehalten werden kan. Eadem attentionem meretur Boechmerus in diss. praecursor Tom. I. Iur. Eccl. Protest. §. 5. ita loquens. „In Statu „naturali, quacunque etiam externa praefulgeat honestate, homo dicitur „mortuus spiritualiter in peccato. Ephes. II. 1. Col. II. 13. ad omne verum bonum ineptus, licet enim actiones nonnullae satis pulchram speciem „habere videantur, quum tamen ex impuro fonte cordis producantur, veram rationem boni habere nequeunt. Quamdiu interna cordis mutatio „deficit, tam diu cor, non nisi prauas concupiscentias producit, & sicuti „omnes actiones humanae ex corde proueniunt, ita quoque bonae esse non „possunt, quam diu mutatio cordis & voluntatis deficit. Ast per Christianismum, ipsius cordis, & prauarum inclinationum semina, si non in totum „euelluntur, saltem ita enervantur, vt actiones Christianorum longe aliam „faciem induunt, ac quidem in statu naturali habent. Qui antea ambitio- „ne traheretur, humilitatem sectatur. Qui cupiditatis carnis, aliisque „illecebris voluptatis indolgebat, easdem spernit, & odio habet, & qui „summum bonum quaesierat in possessione bonorum huius mundi facile „agnoscit, haec potius homini nocua esse & oneri, atque adeo lucri amo- „rem



rem sponte deponit. Et mutatio est quaedam noua vita, quam vetus corrupta vita plane extincta videatur, secundum quam homo voluntatem, carnis & rationis sequebatur. Ephes. II. 3. Christus ipse, cum viuificat, & transformat eundem in coelestem vitam Eph. II. 5. 6. Innouat spiritum mentis. Ephes. IV. 23. Col. III. 10. vt fiat nouus homo, & noua creatura in ipso. Eph. IV. 24. Röm. VI. 4. 2 Cor. V. 17. Efformata ad imaginem Dei ipsius, Col. III. 10. Gal. II. 20. adeo, vt particeps factus esse dicatur Diuinæ naturæ, & vnus cum eo spiritus. 1 Cor. VI. 17. transformatur in imaginem Christi; 2 Cor. III. 18. Pf XXXVI. 10. "Mostes quieu decus illud Galliae, quamuis religiones non omnes, omnibus climatibus conuenire credat. Esprit des Loix L. 24. c. 5. christianam tamen longe alius naturæ esse, & ad stuporem hominum, omnes regiones sine differentia climatis intrare, easque beare posse indicat. Défense de l'esprit des Loix. p. 66.

Quia Religio & in specie Christiana tantos producere potest effectus, & fructus, vt nemo nisi homo religiosus, dignitatem hominis re vera tueatur mirum nemini videbitur, cur homines sub specie religionis nefarios & scelestissimos conatus agere, iisque colorem quemdam inducere voluerunt. Expeditiones cruciatae, quae toti Europae non sentinam Reipublicae & pestem, sed nucleum hominum & diuitiarum subtraxerunt, putamina relinquendo; occupatio Indiarum occidentalium, quae Americam incolis suis natiuis, multisque aliis donis naturæ priuauit, substituendo in eius locum, crudelitatem Hispanorum, eorumque auaritiam; bellum exitiabile, quod Ludouicus XIV. non ad tuenda sua iura, sed ex ambitione & vindicta, ao. 1672. Baraui intulit, nuptiae Parisinae, eiectio & expulsio tot hominum ex Gallia, Hispania, aliisque locis, quin immo, artificiosum systema, quod per varia temporum saecula, astutissimorum hominum exercuit ingenia, & tandem a Papa in maximum Saecularium Principum detrimentum exstructum est, respublica Sc. ecclesiastica, omnia haec, inquam, sub specie religionis acta ad lapidem Lydium, rationis & SS. probata examen sustinere nequeunt.

§. 5. Quum homo ad Religionem obligetur, quae sine cognitione Dei & attributorum eius exerceri nequit (§. 1. 2. 3.) Cognitione humana vero per vicissitudines temporum & circumstantiarum, augeri & diminui, i. e. mutari possit, (per experientiam) sequitur, mutata nostra cognitione Dei & attributorum eius, mutandam quoque esse religionem, & hominem, si de dogmatibus religionis aliter conuincatur, secundum suam conuictionem agere debere, & ad religionem mutandam obligari.

Mirum videri posset, cur in tanta veritatis luce, coequare possit ius Romanum, & Pontificium, quum vtrumque in Tit. de SS. Trinitate, Haereticis, Apostatis,



7  
Ratis, varias, intuitu infidelium, Apostatarum, Haereticorum, introduxerit poenas. Sed quamvis propter poenas, eiusmodi hominibus inferendas excusari nequeant, excusari tamen possunt eo nomine Iuris utriusque Architecti, quod mutationem religionis Christianae cum alia, seu actionem malam interdixerint. Nam quum extra Christianam religionem nulla salus Aſtor. IV. 12. illaque vnica tanquam vera spectari possit: nil aliud egerunt, LL. latores, quam, quod a vera ad falsam religionem transire prohibuerint, quod sine piaculo reprehendi nequit.

§. 6. Differt, religionem mutare, & actum quemdam iuridicum, sub conditione mutandae religionis agere. *Prims si mutata* conuictione fiat, legibus conuenit, adeoque actio licita est. Posterius vtrum liceat, non statim liquet, nec possibile est, accuratum de moralitate horum actuum ferre iudicium; nisi praemittatur breuissimis notio actus iuridici, & doctrina de natura actuum conditionalium. *Notandum itaque,* 1) actum iuridicum nil aliud esse, quam actum, qui iura & obligationes concernit. Nam quum Iurisprudentia nihil aliud sit, quam scientia iurium & obligationum, iuridicum merito id appellandum, quod iura & obligationes concernit. Nomine ergo actus iuridici non solum veniunt actus quidam inter viuos, sed etiam actus mortis causa, e. g. haeredis institutio, legati relictio, &c. & quaestio: vtrum actus iuridicos sub conditione mutandae religionis agere liceat, idem denotabit, ac si quaeramus: vtrum sub conditione mutandae religionis sponsalia contrahere, nuptias facere, contractus celebrare, haeredes instituere, legata relinquere liceat &c.

2) conditionem tam in sensu generali quam speciali occurrere. Si prius conditio erit omne id, a quo suspenditur ius & obligatio; si posterius, conditio est euentus futurus, a cuius existentia suspenditur ius & obligatio. L. 10. ff. de condit. Instit. L. 120. ff. & §. 4. l. de V. O. Concidunt omnes fere Ictorum diuisiones, si conditionem semper in sensu speciali sumere velis, multis saltem implicamur difficultatibus, vtrum conditio recte diuidatur in possibilem & impossibilem, vtrum in futurum tantum, an etiam in praesens conferri possit, aut praeteritum. Quae omnia plana apparent, & explicata, si conditionem generaliter definias. Accedit, diuisionem conditionis in possibilem, & impossibilem, a Ictis nunquam negligi posse, ob diuersos effectus, qui oriuntur ex actibus sub conditione poss. & imposs. gestis. Quis enim nescit, actus sub conditione possibili gestos esse validos, eosque, existente conditione, adimpleri debere p. L.



213. ff. de verbor signif. & L. 5. ff. de condit. Instit. siue sint actus inter viuos siue actus mortis causa. Longe aliter vero, de Actibus sub conditione impossibili gestis dicendum. Hic enim distingui debet inter actus inter viuos, & mortis causa, &

*in priori casu*, vtrum haec conditio sit natura, an lege aut moribus impossibilis. *Si conditio natura impossibilis sit*, & actui inter viuos affirmatiue adiecta, actum sub hac conditione nullum esse, probari potest ex L. 31. ff. de Oblig. & actionibus. Si negatiue adiecta illum subsistere patet, ex §. 11. l. de inutil. Stipulat. Si conditio actui inter viuos adiecta sit lege aut moribus impossibilis, tunc actum semper inualidum esse, siue affirmatiue siue negatiue adiciatur conditio, perspicui poterit, ex L. 35. §. 1. ff. de V. O. quamuis ratione conditionum, lege aut moribus impossibilium, Sponsalibus adiectarum, paulo aliter sentiat Papa c. vlt. X. de cond. appof. Vid. Ludouici diss. de condit. Sponsaliorum impossib.

*in posteriori casu*, Si Sc. actus mortis causa sub conditione hac impossibili agatur, illum semper subsistere, & conditionem impossibilem pro non scripta haberi debere, nec interesse, vtrum natura, an lege aut moribus impossibilis sit, vtrum contra Ius Civile, an contra Ius praetorium, vtrum affirmatiue an negatiue adiciatur, conditio, conuinci possumus ex L. 1. 9. 14. & 20. pr. ff. de cond. Instit. & L. 45. ff. de haeredib. instituend.

§. 7. Haec omnia in Theoria & si in terminis generalibus versetur, facile concipi possunt. Simulac vero ad conditionem mutandae religionis ea adplicare velimus, innumerae prodeunt difficultates, ex quibus vix ac ne vix quidem expedire se possunt Icti: Omnia pendent a quaestione praecudiciali; vtrum conditio mutandae religionis sit possibilis, nec ne. Sunt, qui conditionem hanc pro possibili, actusque sub illa gestos pro validis; sunt etiam, qui pro impossibili dictam conditionem habent, & ratione actuum, sub illa gestorum, contrarii, contrariam agi debere rationem contendunt. Puto priores frenis, & posteriores calcaribus habere opus, priores esse nimis liberales, posteriores vero nimis tenaces, priores peccare in excessu, posteriores in defectu. Non simulabo, sed omni dexteritate argumenta, tam affirmantium, quam negantium recensabo, si opus erit, refutabo, & in calce huius aut potius in secunda differt. adiciam sententiam meam, quae, si recta & vera fuerit, gaudebo, me in tanto

Icto-



ICTorum dissensu rectum inuenisse tramitem, si falsa, gratias agam ei, qui me erroris conuicerit.

Per se patet, conditionem mutandae religionis naturae impossibilem esse non posse, quum quotidie religionem ab hominibus mutari videamus, & ab esse ad posse semper valeat consequentia. In posterum ergo si de possibilitate, & impossibilitate huius conditionis sermo erit, lege aut moribus talem semper intelligi debere, moneo.

§. 8. Inter eos, qui conditionem mutandae religionis pro lege aut moribus possibili habent, agmen ducat Thomas Sanchez. Si argumentis ab odio contra hunc auctorem vti vellemus ex *Bochmer I. E. P. Lib. V. Tit. 7. §. 85.* & Bayle *Wörterbuch Art. Sanchez* iudicia colligere possemus, quibus, quam lasciuie & obscœne ille de S. matrimonii Sacramento, (Sic enim sonat titulus operis, quod scripsit) dixerit, ad oculum demonstrari posset. Sed his armis non opus est, quum argumenta adsint, quibus non auctorem sed dicta eius satis destruere possumus. Dicta vero eius in all. *Tract. de S. matrimonii Sacramento* eo redeunt.

1) Deum Abrahamo aliisque multa promississe bona, si credere vellent, homini per consequens eodem modo licere allicere alterum, ad mutationem religionis per promissiones siue inter viuos siue mortis causa. Resp. a Deo non semper procedere argumentum ad hominem & si quoque procederet, eximiam tamen inter promissionem Diuinam & humanam quoad hunc casum esse differentiam. Deus enim, qui bona promittit piis, non solum ad religionem certissime veram homines vocat, quum homines sub conditione mutandae religionis aliquid promittentes, ad falsam ex errore vocare possint, sed etiam plerumque consuetudina, quae per naturam suam ex pietate fluunt, indicat, quum e contrario homo, qui alteri aliquid promittit, sub conditione mutandae religionis, consuetudina non naturalia sed noua extra religionem desumpta connectat. *Illud* per se fluere ex pietate, quamuis non indicatum fuisset a Deo, indicatum tamen est, vt motiua augeret, quibus voluntas hominis determinari posset, vt appetat religionem s. pietatem propter se ipsam & propter bona, ex natura pietatis fluentia. Quilibet enim, qui pietatem appetit, nil nisi bona ea appetit, quae Deus promissit, quippe quae indiuiso nexu cohaerent, & reciproce. Hoc facile hominem determinare posset, vt religionem mutet, non propter religionem, i. e. propter conuictionem, nouam religionem veteri esse meliorem, & propter bona, ex natura religionis fluentia, sed propter ea, quae sub conditione mu-



tandae religionis promissa sunt e. g. si sponsalia celebrata, haeres quis institutus sit &c.

2) Durum esse, parentes damnare, qui liberos promissione vestimentorum, pecuniae, & in genere beneficiorum ad pie viuendum incitant. Resp. Vix excusari possunt parentes, qui hisce solummodo motiuis ad pietatem flectere volunt animos liberorum teneros. Assuefaciunt tali modo illos, vt essentiam religionis in externis quibusdam commodis quaerant. Si tamen excusari possent, excusandi sunt propter ea, quod liberi rationes, quibus tanquam cardinibus totum vertitur religionis Systema, ope proprii intellectus nondum examinare possint, & quod suam religionem veram esse credant, & felicitatem liberorum ex animo optent. Arg. L. 1. §. 8. ff. de inspic. ventre. Dandum est, inquit Boehmerus, aliquid paternae disciplinae in educatione liberorum, ne obbrutescant, idque potissimum in ea aetate, in qua per rationem simpliciter regi nequeunt. Ex eadem ratione excusandos quoque esse parentes credo, qui minis, verberibus, aliisque duris remediis cogunt liberos, vt in religione, quam ipsi pro vera agnoscunt, informari se patiantur. Qui vero defendere vellet, liberos etiam ultra annos discretionis ab imperio parentum intuitu religionis pendere, illum sane naturam religionis ignorare oportet. Vid. Cantz. in discipl. mor. omnib. Disc. I. c. 3. §. 1064. seqq. T. 1. p. 315. & Disc. IV. P. 1. C. 1. §. 2320. T. II. p. 739. & si de quaestionibus ad Ius publicum spectantibus, & in specie educatione liberorum intuitu parentum mixtae religionis concernentibus certus esse velis, librum adeas paruae quidem molis, maximi tamen ponderis, cui Titulus: *Abhandlungen aus dem deutschen Staats- und Lehn-Recht* de anno 1757.

3) Actum sub conditione mutandae religionis gestum, si labem aliquam haberet; simoniae notam incurrere debere, cuius tamen Characteres nullos habere, quia notissimum est, eum, qui pro lucro ingreditur religionem, non vendere religionem, illum, qui aliquid promittit non emere, naturam enim venditionis postulare, vt emtor aliquid accipiat, & venditor aliquid tradat. Resp. Accurate loquendo, & secundum naturam & historiam facti Simonis Magi Act. 8. v. 18. iudicando, non est crimen simoniae. Sed si ex extensa huius criminis in Iure Pontificio idea dicendum, promissionem lucri sub conditione mutandae religionis factam & acceptatam, sine conuictione scilicet, crimen simoniae inuoluere, praecipue apud Catholicos facile concesserim. Vide Boehmer. in I. E. P. L. V. T. 3. §. 15. 16. vbi



ubi & plures a Sanchezio excogitatas rationes, & simul earundem refutationes inuenies.

§. 9. Paulo subtilius philosophatur Bonacina Tom. I. Oper. Tr. de Simonia Disp. I. qu. 3. §. 8. Concedit, simoniam committere, qui alteri promittit, vel tradit aliquid temporale, iniuncta obligatione, vt praestet opus spirituale, sed in actu sub conditione mutandae religionis gesto plane aliud agi putat, Sc. hunc actum in solius conuertendi fieri utilitatem, dantem nullum habere interesse, ideoque dici non posse, Spirituale emtum esse, pro temporali quodam, Resp. Boehmer in loco antea allegato arcanum interesse, quod habent Catholici, satis demonstrauit, nilque ideo est, quod addi deberet.

§. 10. Hos duos acumine adhuc superat Gisbert. Voëtius in Tr. de simon. p. IV. in appendice, qui, postquam Sanchezium testem suae Theses laudauerat, addit:

„promissis, donis, officiis, obsequiis infidelium animos nobis conciliare studemus, vt nos audiant, propositam fidem expendant, ad eandem attendant, & saluti suae consulant. Breuiter ad salutis suae studium & amorem eos inducimus, & ad id eos allicimus, ac nobis deuincimus, ad quod praestandum lure Diuino tenentur. Quodsi infidelis oblatum aut collatum commodum temporale solummodo respiciens propter illud hypocritice fidem amplectitur, & proficitur, grauiter quidem ille peccat, ast promissor, aut donator, aut benefactor, non peccat, nec simoniam committit.

Respond. Duas in se diuersas quaestiones confundere Voëtium, affirmat Boehmerus, non enim sermonem esse, vtum liceat, homini, quem de religione conuincere, & cui ad illam amplectendam persuadere volo, benefacere, sed vtum liceat homini, sub hac conditione benefacere, vt religionem mutet. In tantum responsionem hanc Boehmeri meam facio, in quantum hae duae quaestiones re vera inter se differunt. Vtrum vero Voëtius illas confuderit, infra forsitan melius patebit.

§. 11. Quartus in ordine, cui postea tota societas auctorum oraculi iuridici T. VI. §. 13. p. 12. accessit, est Ludouici in diss. de condition. Sponsaliorum impossib. qui ita argumentatur; Legibus permissam esse mutare religionem, hinc etiam conditionem mutandae religionis non posse esse lege impossibilem, hinc & licere, actum quemdam, e. g. Sponsalia sub illa celebrare. Resp. Antecedens negare



gare non possumus, postquam ex lumine Naturae probatam dedimus §. 5, & ex pace Westphalica postea demonstrabitur, homini non solum licere, mutare religionem, sed etiam, cognitione meliori acquisita & conuictione sequuta, ad illam obligari. Sed vnde consequentia probari possit, nondum perspicio. Potest enim in se aliquid licitum esse, quod tamen tamquam conditio, actui cuidam apponi nequit. Sic iudex officium suum facere debet, & si hoc facit, licite agit; si iudex sibi vero a ciue aliquid promitti curaret, sub conditione, si officium suum fecerit, in crimen repetundarum incidere, & iustas poenas daret. L. 4. ff. de crim. Repetund. Sic etiam furtum non facere, hominem non occidere, iniuriam non committere, LL. conuenit. Verum enim vero, qui pecuniam sibi promitti vellent, ne furtum faciant, ne hominem occidant, ne iniuriam committant, turpiter agerent per L. 2. pr. ff. de condict. ob turp. caus. & L. 4. §. 2. eod. L. 7. ff. de calumniat.

§. 12. Claudat agmen inter eos, qui conditionem mutandae religionis pro possibili habent Iustus Carolus Wiefenhaver, qui in Tractatu, cui Tit. fecit: Grundsätze des allgemeinen und besonderen Kirchen-Staats-Rechts, der Protestirenden in Deutschland. P. II. c. 4. §. 3. n. \*\*\*\*\* circa finem ita loquitur: Wir können aus dem Reservato Ecclesiastico und folglich aus den Reichs-Gesetzen nicht unbillig den allergrößten Beweis nehmen, da es bekanten Rechtsens ist, daß ein Bischoff oder Prälat, mit dieser Bedingung das Bisthum oder die geistliche Stelle erhält, die Religion nicht zu verändern. Da wir also diese condition pro non adiecta nicht halten dürfen, sondern bey der Religions-Veränderung das Bisthum oder die Präclatur verlohren gehen müste, so kan man von diesem auf die Legata sub conditione mutatae religionis einen sicheren Schluß machen. Non video, in quonam conueniat conditio mutandae religionis, cum conditione non mutandae religionis, & qui fieri possit, vt auctor ab hac ad illam argumentetur. Nam non credo, auctorem ita argumentari voluisse: si verum est, conditionem non mutandae religionis eodem modo homines allicere ad agendum contra conscientiam, ac conditionem mutandae religionis, verum quoque est, hoc respectu idem dicendum est, de conditione mutandae religionis, quod dici potest, de conditione non mutandae religionis, siue verum quoque est, a conditione non mutandae religionis valere consequentiam ad conditionem mutandae religionis. Si enim ita argumentatus fuisset auctor, tunc spe sua & argumentatione excidisset, nam



nam tunc totius argumentationis summa directe opposita esset ei, quod defendere volebat, Sc. sequeretur tunc, vtramque conditionem esse lege impossibilem, contra conscientiam enim agere, Legibus contradicit. Sed nolo auctori aliquid affingere, praecipue, quum dicta argumentatio non omnibus numeris absoluta sit, & verba eius clarissima sensum & mentem satis prodant, Sc. illum non LL. naturalibus, sed LL. Imperii rem omnem metiri, & Thesin suam stabilire voluisse, quamvis nec tunc aciem argumenti sui perspicere me posse, lubens confitear. Si enim

1) historiam pacis religiosae, ex qua natales suos deriuare potest reservatum ecclesiasticum, intuemur; inuenimus, non solum reservatum ecclesiasticum ex plenitudine potestatis Caesareae insertum esse R. I. de ao. 1555 vt verba habent in dicto recessu §. Nachdem aber ic. Quod quam parum conveniat naturae conventionis, qualis esse debet Recessus Imperii, iam dixit Vitriarius in Inst. Iur. Publ. L. III. T. 19. §. 34. sed etiam illi se opposuisse Evangelicos, acta oppositionis de ao. 1555 testantur, secundum Lehmannum de pace relig. L. I. c. 13. p. 27. c. 15. p. 30. c. 17. p. 37. &c. Notari merentur verba Gebhardi Truchsessii de Waldburg Archiepiscopi Colonienfis ao. 1582. Protestantium sacris sese associantis ad propositionem legati Caesarei mutationem religionis ab Archiepiscopo factam, religiosae paci contrariam esse, defendentis, prolata, quae in Lehman. de pace relig. L. 3. c. 11. p. 335 ita sonant: *Wiewohl die Disposition aus dem Religions Frieden, den geistlichen Vorbehalt belangend von mehr gedachtem Kayserlichen Gesandten befragt angezogen, und von ihm angegeben worden ist, als solten wir durch unsre Abtretung von der Päpstlichen Religion, und erfolgte Verheyrathung ipso facto uns unsers Standes selbst entsetzt haben, so können wir doch solchem Angeden keinen Beyfall thun, nicht allein, obangezeigter Ursache halber, nemlich, weil die Menschen nicht Macht haben, dasjenige, so Gott befohlen, oder erlaubt hat, straffbar zu machen, sondern auch aus diesem Grunde, dieweil beweistlich und offenbar ist, daß die Evangelische, und der Augsbургischen Confession zugethane Stände in solchen unleydlichen und allein zur Beschwerung der Gewissen, und aller, aus Chur. Fürst. Gräflichen und andern hohen Geschlechtern gebührer Personen, die dem Pabstthum nicht anhängig seyn können, noch wollen, von den Stifften und deren Nutzungen gesuchten Ausschliefung gereichenden, auch derowegen von den Pabstl. Religions-Verwandten wieder die Gebühr ex practicirten Vorbehalt*



behalt niemahls gewilliget, sondern denselbigen von Anfang ao. 1555. bey wäherender Abhandlung des vorhabenden Religions-Friedens, wie auch bey allen erfolgten Reichs-Versammlungen, ausdrücklich contradiciret, auch darüber etliche mahl ihre ausführliche Protestationes, die noch fürgelegt werden können, aufrichten haben lassen, mit dieser lauterer öffentlichen so wohl in Schrifften, als mündlich geschehenen Erklärung, wo sich ein Fall zutragen sollte, daß von wegen der angenommenen Augsburgerischen Confession, einiger Geistlicher, seines Standes, Würden, Beneficien oder Officien sollte entsaget, oder benommen werden, daß sie nicht allein derothalben in ihrer der Chur-Fürsten, Fürsten und anderer Stände Gewissen gefreyet, sondern auch denselbigen in oder ausserhalb Reichens nicht verdammen, mit der that, oder in andre Wege, mit nichten verfolgen helfen wollen. Immassen auch die Execution des Land-Friedens den Religion und Profan-Frieden angehangen, auf berührten Fall wieder die Geistlichen fürzunehmen Ihro Churfürstl. und Fürstl. L. D. und andre Stände keines weges gezeihen, oder gebühren, noch ihnen vor Gott verantwortlich seyn würde, an einem Ort ihre Christliche Religion für wahr zu bekennen, und am andern dieselbe samt ihren Glaubens-Genossen, und Christlichen Gliedern zu verdammen, zu strafen, und verfolgen zu helfen. Neben dem ist auch beweislich, daß bey Aufrichtung des Passauischen Vertrages ausdrücklich abgeredet, und mit beyder Religions-Verwandten sämtlichen Bewilligung beschlossen worden ist, daß dasjenige, so in dem vorgeschlagenen Religions-Frieden den einen oder den andern Theil binden sollte, durch alle Stände beyder Religionen mit ordentlichem Rathun der Kayserlichen Majestät abgeredet, und beschlossen sollte werden, welcher Abrede auch billig nachgesehenet, und etwas wiederwärtiges den Evangelischen Ständen zum Nachtheil verbindlich nicht verordnet hat können werden. Quibus si addas repraesentationes a Ludovico Palatino, Augusto Saxone & loh. Georgio Brandenb. Caesari propter hanc mutationem factas apud Lehm. l. c. C. 14. p. 346. & Palatini Electoris Ausschreiben an die Protestantische Reichs-Stände zum Religions-Convents-Tag nacher Mühlhausen wegen des geistlichen Vorbehalts sub dato Heydelberg den 21. Aug. 1583. ubique patebit, conditionem non mutandae religionis non omni caruisse contradictione, sed impossibilem visam, admissam tamen fuisse in pace Westphalica Art. V. §. 3. tanquam malum minus, eodem modo, quo quis brachium gangraena adfectum amputari curat, ne totum corpus pereat. Lubenter enim hanc clausulam non admisisse Protestantes, demonstrant



stant illa, quae ao. 1645. Osnabrugae Plenipotentariis Caesareis ad Tractatus pacis Westphalicae & Cancellariae Imperii ab illis exhibita apud Londorp. T. V. Actor. publ. L. 2. C. 114. p. 1046. Si

2) differentiam notamus, inter personas illustres & priuatas, causa erit in promptu, cur ab illis, utpote quas respicit reservatum ecclesiasticum, ad has nulla valeat consequentia. Nam ratione illarum salus publica saepe alias determinationes requirere potest, quae exceptiones legis quandoque reddunt necessarias, & ubi secundum, illud Euripidis: Si ius violandum est, regnandi gratia violandum est, agere licet. Vid. Bayle *Wörterbuch* voce Aristidis not. c. & Heluet. Disc. vom Geist des Menschen, p. 82. n. c. quod longe aliter se habet intuitu personarum priuatarum, quae in tales collisionum scopulos incidere nequeunt. Mutatio religionis a principe facta toti territorio funesta & nocua esse potest, cuius rei Palatinatus Rheni, Saxonia, Ducatus Würtembergicus, aliaque non nisi tristem repetere possunt memoriam. Sed mutationem religionis a priuato factam tales non possunt comitari effectus

si 3) perpendimus, longe aliam conditionis mutandae religionis esse rationem, quam conditionis non mutandae, quum ex illa periculosi intuitu subditorum oriri possint effectus, quod secus quoad conditionem non mutandae religionis, intelligi quoque inde poterit, non valere consequentiam a conditione negatiua ad affirmatiuam. L. 14. ff. de L. L. & arg. L. 64. §. 9. ff. Solut. matr. & c. 28. de regul. iur. in 6. Accedit, si etiam eadem ratio conditionis mutandae & non mutandae religionis esset, in poenalibus tamen, ex quorum genere est Reservatum Ecclesiasticum ex identitate rationis argumentum, fieri non posse per L. 42. ff. de poen. & c. 15. de Reg. l. in 6.

Si denique 4) medium terminum, ex quo Wiesenhauerus a conditione non mutandae religionis, quam insert reservatum ecclesiasticum concludere vult ad conditionem mutandae religionis, legato adiectam, consideramus, in oculos incurrit, argumentationem eius plane corruere, nec vilo modo ex reserv. eccles. posse fieri conclusionem ad legatum sub conditione mutandae religionis, relictum. Dicit: Da wir also diese condition Sc. non mutandae religionis pro non adiecta nicht halten dürfen, sondern bey der Religions-Veränderung das Bisthum würcklich verlohren gehet, so kan man von diesem auf die Legata sub conditione mutatae religionis einen sicheren Schluß machen. Quis, quaeso unquam dixit in actibus inter viuos, cuiusmodi est promotio ad Episcopatum, conditionem



nem lege impossibilem pro non scripta haberi debere. Contrarium potius probari potest ex *Spho* diss. nostr. 6. Si itaque longe alia decisio, in actibus inter viuos sub conditione impossibili celebratis obtinet, quam in actibus mortis, minus tuto ab illis ad hos argumentari licet.

§. 13. Sufficiant haec de iis, qui conditionem mutandae religionis pro possibili habent. Succedant ii, qui contrariis fauent partibus, inter quos primo nominandus *Georg. Adam Struue* in syntagmate *Iur. Ciu. Exercit. XXXIII. §. 50* ita loquens: Quaeritur autem, quid dicendum de conditione, ut quis amplectatur religionem Pontificiam, vel conuerso casu, ut Pontificius amplectatur Lutheranam. Dicimus, esse turpem, adeoque pro non adiecta haberi, a) quia religio non ut aliud factum iniungi potest, & turpe est, aliquem spe haereditatis adipiscendae inducere ad mutandam religionem, b) facit huc argumentum ex *L. 8. ff. de con. dit. Inst.* Non credo, ex his rationibus, ut prima specie maximi ponderis videantur, aliquid desumi posse pro demonstranda impossibilitate conditionis nostrae, nam, quod primam attinet, quilibet videt, illam continere terminos aequiuocos, quae propositionem veram & falsam pro diuersitate circumstantiarum efficere possit. Si enim iniungere religionem idem est, ac iubere, praecipere, ut quis ex voluntate nostra, non ex conuictione sua amplectatur religionem, concedo non iniungi posse religionem, si vero iniungere religionem idem sit, ac commendare illam, ut veritas eius examinetur, non video, quare iniungi non possit religio. Quod concernit secundam *Struuii* rationem, ocularis inspectio citatae legis, statim docet, sensum eius esse valde obscurum, & reliquis iuris principiis contrarium adeo, ut nequidem per industriam *Cuiacii*, *Alberici Gentilis*, *Donelli* & nuperrime etiam *Walchii* *Ienensis* aliorumque lux quaedam illi affundi potuerit. Ponamus tamen sensum huius legis extra omnem dubitationis aleam positum esse, nondum tamen ex illa argumentum fieri posse ad conc. mut. rel. persuasum habeo. Si quis enim haeres institutus sit, sub conditione iuris iurandi, se velle aliquid dare vel facere, extra praestationem iuramenti, datio vel factum aliquod haeredi iniungitur. Si vero quis instituatur haeres sub cond. mut. relig. nil nisi haec iniungitur, praetereaue nihil. In priori, si iuramentum etiam remittitur, faciendum tamen aliquid adhuc remanet, quod secus si cond. mut. rel. remittitur, ubi sine villo facto, haeres accipit haereditatem. In priori casu ergo  
manet



manet haeres conditionalis, in posteriori est haeres pure institutus. Vtrum ab illo ad hunc valeat argumentatio, viderint alii. Alio modo Ludouici in diff. de cond. Spons. imposs. respondet ad has Struuii rationes, quo ipso tamen vim argumenti Struuiiani, non credo labefactatam esse, nam si ad a) contendit, Struuium circulum commississe in demonstrando, dicendo: Toleratur Rel. Pontif. & Luther. turpis tamen est conditio mutandae rel. Pontif. in Lutheranam & vice versa, respondeo: Struuium non circulum commississe sed ipsum Ludouici confudisse duas hasce plane diuersas propositiones: religionem mutare licet, & actum quemdam sub conditione mut. rel. celebrare licet. Priorem non facile quis in dubium vocabit, de posteriori vero adhuc sub iudice lis est. Alteram responsionem ad primam rationem Struuii, quam habet Ludouici, lubens taceo, quum ex aequiuocatione vocis: *iniungere* orta. Si vero ad b) reponat, argumentum ex l. 8. ff. de cond. Inst. esse impertinens, & legem citatam non de mutatione religionis, sed de temerario iuramento, cuius praestatio iniuncta erat haeredi, loqui, temerarium vero iuramentum numquam ad res licitas referri, respondeo; ocularem inspectionem huius legis, praecipue si conferatur cum l. 26 ff. de conditi & demonstrat. docere, non de temerario iuramento, sed de conditione, si haeres, aut Legatarius iurauerit, se e. g. decem daturum, vel monumentum facturum, sermonem esse, per consequens argumentum non esse impertinens. Sed nolo amplius immorari Struuii.

§. 14. Secundus in ordine inter eos, qui conditionem mut. Relig. pro lege impossibili venditant, est vir, non nisi honoris causa nominandus Iust. Henning. Boehmerus, qui in diff. pracliminari T. II. I. E. P. praemissa §. 49 ita loquitur: Etsi negari nequeat, hanc conditionem esse naturae possibilem, & vtramque religionem esse in imperio approbatam, quaelitio tamen non in hoc sed in eo versatur, vtrum mutatio religionis, ob spem lucri consequendi sit actio honesta, & an priuatus priuatum, ita per indirectum cogere possit ad sacra sua deferenda. Vtrumque nego, nam vtut mutatio religionis, licite & optima conscientia fieri possit, si quis agnita veritate coelesti, & sic ductu conscientiae suae sacra pristina deferat, merito tamen turpiter & contra conscientiam agit, qui solius lucri, legati, & fidei commissi causa veritatem, de qua conuictus adhuc est, elurat, & ita conscientiae suae vulnus infligit, vt modo fidei commissum consequatur. Hoc posito etiam is turpiter egisse censendus est, qui alicui hanc conditionem imponit, vt contra conscientiam sacra, quae hactenus improbauit, sequatur. Immo contra leges publi-



cas agit, quae religionem voluere esse liberam, in quarum fraudem tam  
 men alterum ad mutandam religionem pertrahere, & cogere nititur.  
 Cautum est in art. 5 I.P.O. §. 30, ne quis alienos subditos ad religionem  
 suam pertrahere studeat, quanto magis ergo priuatis interdictum erit,  
 alios ad suam religionem per modum fideicommissi pertrahere? Et si in  
 genere turpe iure censetur, solius lucri gratia actum in se laudabilem  
 peragere, multo magis turpe erit, alios ad suam religionem allicere,  
 spe lucri propositi, quo ipso illa venalis, & quasi in commercium trahi-  
 tur. Nec obstat, quod legatario integrum sit repudiare legatum, si  
 conditionem implere recusat, nam idem quoque de alia turpi & quae  
 contra bonos mores est, dici posset, quum tamen LL. disponant, eam  
 pro non adiecta haberi, & legatum, fideique commissum pure deberi  
 L. 104. §. 1. fin. & L. 110. §. 3. ff. de legat. L. 3. 6. 20. ff. de condit &  
 demonstr. l. 9. §. 20. de condit Instit. Multa sunt, quae monenda mi-  
 hi esse videntur contra Boehmerum. 1) Mutat statum controuersiae Boeh-  
 merus actionem tam promittentis, quam promissarii sub cond. mut. Rel.  
 turpem ex ea ratione dicendo, quia solum lucrum determinat promissa-  
 rium ad mutationem religionis, quae tamen non nisi ex conuictione mu-  
 tanda. Nam quis vmquam dixit, conuictionem hic exfulare debere. Vni-  
 us positio non est alterius exclusio. Mutatio religionis etiam gratis facta,  
 sed sine conuictione nulla est & inualida. Et quemadmodum illi, qui re-  
 ligionem gratis mutandam esse credunt, simul supponunt, conuictio-  
 nem praecedere debere mutationem religionis, ita etiam illi, qui pro-  
 mittunt aliquid sub cond. mut. rel. non excludunt conuictionem. Haec  
 enim vnicum & genuinum est mutand. relig. fundamentum §. 5. Quis  
 vero prohibet, quo minus quis alterum alliciat, promissionibus, ad be-  
 neuolas conuincendi praebendas aures. Experientia testatur, homines  
 quandoque sic praeiudiciis immerfos esse, vt ne quidem meliora loquen-  
 tem audire velint. Nonne tunc recte facitis, qui promissionibus dispel-  
 lit tenebras praeiudiciorum, qui aures aperit? *Luccurum promissum tunc non  
 quidem est medium ad finem consequendum, propter finem tamen datur*  
 i. e. non immediate conuincit, sed tamen occasionem offert, vt conuinci  
 possit. Is, qui promittit, non vult praecise, vt alter lucro solo determi-  
 netur ad religionem mutandam, quod Boehmerus supponere videtur, sed  
 vult, promissarium religionem mutare debere, ceteris paribus, i. e. vult,  
 informari promissarium, & quia promittens religionem suam optimam  
 esse credit; conuictionem promissarii sine dubio sequituram esse  
 sperat. Si sequitur conuictio, recte facit promissarius, qui mutat religio-  
 nem,



nem, si non, conditio non impletur & promissarius non accipit id, quod promissum,

2) si ad LL. publicas, utpote quae non de casu praesenti loquuntur, prouocat, a diuersis ad diuersa concludit. Dicitur nimirum in allegato textu, non licere alienos subditos, ad suam religionem pertrahere. Sed quid hoc ad propositam quaestionem? a) multa enim non licent intuitu subditorum alienorum, quae intuitu conciuum licent. b) nisi me omnia fallant, non de priuatis, sed de principibus imperii, de personis illustribus sermo est in dicto Spho. A personis illustribus vero ad priuatas, non semper valere consequentiam, diximus (§. 12. n. 2) c) vocabulum pertrahere, explicatione quadam indiget. Forsitan citata Sphus I. P. O. lucem quandam accipit, ex pace religiosa, de ao. 1555. utpote, quae confirmata est in pace Guesphalica & in §. 23. haec habet verba: Es soll auch kein Stand den andern, noch desselben Unterthanen zu seiner Religion dringen, ab practisiren &c. Quae verba luculentissime demonstrant, pertrahere, & cogere esse synonyma, id quod nec Boehmer. diffiteri audet. Secundum hanc explicationem vero non video, quid argumentum ex LL. publicis petitur, contra eos faciat, qui defendunt, cond. mut. rel. esse lege possibilem. Minime gentium enim eo ipso asserunt, hominem cogi posse ad mut. relig. Loquuntur quidem Moralistae de coactione quadam morali per argumenta, sed notandum, si vocabulum: *cogere* simpliciter adhibetur, semper intelligi coactionem physicam, non moralem,

3) si actum laudabilem *solius lucri* gratia turpem esse, & multo magis hoc de religione dici debere, defendit, non contradicit iis, qui credunt, cond. mut. rel. esse lege possibilem, quippe qui lucrum & conuictionem simul requirunt (per n. 1.) Et si contradiceret, noua tamen oriretur lis, num actus laudabilis quilibet, ad quem quis determinatus est per lucrum, turpis nominari mereatur, & num in specie mutatio religionis huic catalogo adscribenda quod ob L. 1. C. de condict. ob turp. caus. mihi adhuc videtur dubium,

§. 15. Possem adhuc multos alios e. g. Carpzovium, Lauterbachium, Stryckium, Knipschildium aliosque in scenam producere, tamquam testes & vindices propositionis, conditionem mut. rel. esse lege impossibilem: Quia vero iisdem vtuntur armis, quibus usus est Struvius, & praeterea non numeranda sint iudicia eruditorum sed ponderanda, lubens illos taceo.

T A N T V M.



EPISTOLA  
PRAESIDIS AD RESPONDENTEM  
PRAESES RESPONDENTI.

S. P. D.

**A**cademiae nostrae ultimum dicturus vale, & per praeclarum quoddam facinus ciuibus Academicis memoriam TVI relicturus nuper dissertatiunculam quamdam proprio Marte elaboratam obtulisti sub praesidio meo defendendam. Principia eius, quum diuersa fuerint ab iis, quibus Auditores meos imbuiere solitus sum, ne bilinguis videar, mea facere detrectavi. Desiderium tamen TVVM nobile, & imitatione dignum plane exstinguere nefas duxi, praecipue quum hoc memoriae Patris TVI, cuius manibus hic parentare fas esset & Patruī, qui munere docentis inter Philosophos quondam in hac Academia multo cum adplausu functus est, & nunc cathedram Sacram Tilsae non minori cum dignitate ornat, debere fatear, utpote quibuscum exercitia disputatoria saepius instituisse & nunc eorundem memoriam repetere posse in deliciis est. Substitui itaque in modo dictae dissertatiunculae locum aliam, loco quem nunc occupas TVO & principiis meis magis conuenientem, cuius defensione mascula finem obtinere poteris supra dictum. Laudibus TVIS personant publica & priuata aliorum in hac Academia celeberrimorum virorum acroateria, hinc superfluum foret, illas hic recensere velle Gratulari mihi potius liceat, vrbi, cuius magistratui tamquam ludex criminalis & Secretarius mox associaberis de collega tam digno. Vale.





Königsberg, Diss., 1740-99

ULB Halle  
004 587 936

3



sb.







1763, 1 14

EXERCITATIO ACADEMICA PRIMA  
DE  
**ACTIBVS IVRIDICIS**  
SVB  
**CONDITIONE MVTANDAE**  
**RELIGIONIS GESTIS**

QVAM  
CONSENSV MAGNIFICI ICTORVM ORDINIS  
PRAESIDE  
**IOANNE DANIELE FVNCK**

LEGIBVS  
*STIPENDII OELMANNIANI*  
SATISFACTVRVS  
DEFENDET ET DEFENSIONE PERACTA  
ACADEMIAE VLTIMVM DICET VALE  
**BERNHARDVS LVDOVICVS**  
**SVCHLAND**

SVBSELLIA OPPONENTIVM OCCVPABVNT  
**CHRISTIANVS FRIDERICVS WOLFF** MEMELA PRVSSVS  
I. V. CVLTOR.  
**DANIEL GRALATH** GEDANENSIS  
IVR. ET PHIL. CVLTOR.

DIE XIV. IVLII MDCCLXIII.

REGIOMONTI,  
LITTERIS HARTVNGIANIS.



Blue Cyan Green Yellow Red Magenta White 3/Color Black  
Farbkarte #13  
B.I.G.

Inches  
Centimetres  
1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 16 17 18 19 20